

minus et vivat anima tua, quia non derelinquam te. Unde et meruit obtinere quod petiit; vidit enim Eliam tolli per turbinem in cœlum, et obtinuit pallium ejus sibi ab eo relictum unaque duplicem ejus spiritum. « Quis est spiritus iste duplex (inquit S. Bern. serm. III. in ascensione) qui quæritur, nisi illuminatio intellectus et affectus purgatio? Res difficilis, quia rarus est in terris qui illam habere videatur. » Quia ergo hæc bona etiam nos a Deo poscimus, nil mirum si jubeat nos sibi constantes adhærere per instantiam precum. Sic enim agnoscere debemus, magna esse quæ petimus; et si modo non agnoscimus, agnoscemus suo tempore.

III. Quia sæpe initio non recte petimus, quæ dum perseveramus, tum demum recte petere incipimus. Ad hunc modum semina a superveniente frigore et hieme salubriter retardantur ne excrescant; sic enim profundiores agunt radices et ad frugem uberius surgunt ætate. Similiter ergo preces nostræ sæpe fructuose differuntur, ut eas perficiamus ad plus merendum et impetrandum. Simplex aliquis forte optaret uti semina autumno jacta mox surgerent in germina et spicas, sed postea videret se deceptum esse, quod fruges vel nullæ vel modicæ provenirent: sic quia initio orationis sæpe imperfecte oramus, si statim audiremur, parum obtineremus vel mereremur. Unde Sapiens, Ecclesiast. VII. ait: *Melior est finis orationis quam principium.* Hoc S. Augustinus, in lib. soliloq. precatur: *Deus universitatis conditor, præsta mihi primum, ut bene te rogem; deinde, ut me agam dignum quem liberes; postremo, ut liberes.*

IV. Quia sæpe non expedit satim dare. Habæc prophetiam suam inchoat ejusmodi querela: *Usquequo Domine clamabo et non exaudies? Vociferabor ad te vim patiens et non salvabis.* Sed audi quid S. Hieronymus scribat in illum locum: « Quomodo si ægrotus æstuans febribus, inquit, aquam frigidam postulet et dicat ad medicum: Vim patior, crucior, uror, exanimor, usquequo, medice, clamabo et non exaudies me? Et respondeat ei sapientissimus ad clementissimus medicus: Scio quo tempore dare debeam quod postulas et non misereor modo, quia misericordia ista crudelitas est et voluntas tua contra te petit. Ita et Deus noster, sciens clementiæ suæ pondera atque mensuras, interdum non exaudit clamantem, ut eum probet et magis provocet ad rogandum et quasi igne excoctum justiore et puriore faciat. » Hinc S. Augustinus, l. I. de ordine, c. X. ait: « Satis mihi sunt vulnera mea quæ ut sanentur, pene quotidianis fletibus rogans, indigniorem tamen esse me, qui tam cito saner, quam volo, sæpe memetipsum convinco »

V. Ut excitet in nobis majorem appetitum, et fervorem devotionis magis accendat, quo nos bonorum dandorum capaces reddat, eaque det abundantius. De primo S. Aug. tract. IV. in epist. Joannis ait: « Sicut si velles implere aliquem sinum et nosti quam magnum sit quod dabitur, extendis sinum vel sacci vel utris vel alterius rei, ut extendendo facias capaciorem; sic Deus differendo petitionem extendit desiderium, desiderando extendit animam, extendendo facit capacem eorum, quæ oculus non vidit et auris non audivit. » Rursum idem s. pater, ser. V. de verbis Dom. « Servat tibi Deus, inquit, quod non vult cito dare, ut et tu discas magna magis desiderare. » Antigonus Macedonum rex Thrasillo Cynico petenti drachmam: *Non est, inquit, munus regium.* Cynico subjiciente: *Talentum ergo da. At non est,* inquit, *Cynicum tale munus accipere.* Similiter Deus noster vult nobis magna et se digna dare, sed non sumus nos statim capaces aut digni tantorum bonorum. Tales ergo fieri per dilationem et excitationem desiderii debemus.

Secundo, ut sic crescente in nobis devotione, abundantius nobis det. Ut enim qui puteum fodit, quanto altius fodit, tanto plus invenit humoris et aquæ; ita quo plus in petendo perseveramus, tanto plus tandem obtinemus. Patet in hodierna parabola evangelii, ubi pauper ab amico tres panes tantum petiit: cum vero perseveravit petere, obtinuit quotquot habuit necessarios. Patet in Chananæa, quæ filia tantum liberationem petierat; ubi vero institit petendo non tantum obtinuit quod petiit, sed præterea magnam a Christo laudem obtinuit: *Mulier, magna est fides tua.* Unde optime Aug. ser. XXVII. de verbis Dom. ait: *Non accipimus aliquando, ut meliora quam petimus, accipiamus.*

VI. Ut probet nostram fidem et patientiam, num forte impatientia aut infidelitate victi remedia quæramus viis et illicitis et injustis. Quomodo probatur is, qui suscipi in aliquam religionem petit, num serio et constanter velit sæculo renuntiare, sic Dominus Chananæam distulit non ut eam repelleret, inquit S. Chrysostomus, hom. de profectu evangelii: « Sed ut patientiam mulieris omnibus monstraret. Nam si propter repulsam distulisset, neque tarde ei donasset, et nos minime agnovissemus mulieris ab initio usque ad finem fortitudinem. Dimitte eam, inquiunt, quia clamat post nos. Vos auditis vocem, ego mentem video; scio quid dictum sit. Nolo thesaurum mentis suæ occultum permanere, sed expecto et sileo ut orationibus manifestetur et omnibus clarus fiat. » Sic ille. Pudefacit ergo nos gentilis illa mulier, si ob dilatas petitiones, victi impatientia deficiamus, ad

instar leopardi, qui nisi secundo vel tertio saltu prædam apprehendat, illico desperat et persequi eam desinit. Quomodo pudefient in illa die Christiani, qui morborum aut similibus tribulationum impatientia victi, quod non illico sint auditi, ad magica et diabolica confugerunt remedia? Non sane ita Jo. qui dixit: *Etiam si occiderit me, in ipso sperabo,* c. XIII.

VII. Ut nos secum diutius loquentes retineat. Audi Chrysostomum, hom. de profectu evangelii: « Si differt aliquando Dominus, inquit, non id odio facit neque te aversatur, sed differendo te secum diutius servare vult, sicut et patres filios indulgentius amantes, quo illos diutius apud se detineant, quos desides vident, debita opera morantur aliquid daturi. » Sic Chrysostomus. Ex hac causa videtur Dominus distulisse cæcum illum clamantem: *Jesu, fili David, miserere mei,* Luc. XVIII. Cum enim increpatus, ipse multo magis clamaret: *Fili David, miserere mei;* tum demum stans Jesus jussit illum adduci ad se et interrogavit eum: *Quid vis ut faciam tibi?* Et confestim reddidit ei visum. Nimirum placuit Christo perseverans illa oratio, suavissimam faciens mentionem patris Christi, Davidis, velut misericordissimi et mansuetissimi regis, viri secundum cor Dei: et propterea in ejus gratiam stetit et jussit eum ad se adduci, fecitque ei potestatem petendi quod vellet. O magnam perseverantis orationis potentiam! Fecit aliquando Josue stare solem illo verbo: *Sol contra Gabaon, ne movearis;* sed oratio cæci perseverans stare fecit ipsum solis factorem.

VIII. Quid si denique talione te puniat Deus, dum diu petentem differt, quia et ipse diu sæpe monentem distulisti? Certe Isaias, c. XXVII. ait de vinea Domini: *In mensura contra mensuram judicabit eam;* et Dominus, Matth. VII. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Cogitet quisque secum, quoties forte monentem, rogantem, vel præcipientem agere penitentiam, vel hoc aut illud bonum distulerit: *Ego enim sto ad ostium et pulso,* ait Dominus, Apoc. III. Et si tarde ei aperuisti, ne mireris, si et ipse tibi multoties pulsanti, tardius aperiat. Hanc ob causam Joseph diu pressit fratres et tamquam alienum atque aversum sese eis exhibuit, quia et ipsi prius deprecantem se non audierant. Unde demum hujus culpæ memores, ad se invicem dicebant: *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustias animæ illius, dum deprecaretur nos et non audivimus.* Idcirco venit super nos ista tribulatio, Gen. XLII. Pari jure quia fratrem nostrum, Salvatorem, deprecantem nos sæpe non audivimus, idcirco non est mirum, si veniat super nos gravis tribulatio, et non audiamur statim orantes.

Eadem talionis pœna animadvertet, aliquando in impœnites, qui sæpius hortantem nunquam audierunt, sed in sua pertinacia perstiterunt; quod testatur Isaias, c. XXVIII. *Quia manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi.* Hoc videlicet impii dixerunt Domino momenti eos per prophetas. Sed quid respondebit illis Dominus? Audi quod subjungitur: *In loquela labii et lingua altera loquetur ad populum istum, etc. Et erit eis verbum Domini manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi: ut vadant et cadant retrorsum et conterantur et illaqueentur et capiantur.* Quia ergo impœnites hoc Domino responderunt, respondebit id ipsum eis Deus per omnem æternitatem, quando clamabunt: *Domine, Domine, aperi nobis. Manda remanda, expecta reexpecta, modicum ibi.* Sed quale modicum! Quam exiguum est modicum, quod nos hic expectamus donec audiamur in nostris orationibus, si cum illo comparetur? Triginta et octo annis jacuit prope piscinam languidus ille, donec tandem a Christo curaretur, Joan. V. Multum hoc existimamus, sed nonne modicum est si cum illo æterno comparetur? Itaque licet multis annis in ægritudine et doloribus, in paupertate et nuditate, in fame et penuria, in afflictione et persecutione detinearis, et instes orationibus, ut hac cruce libereris, nec tamen audiaris, noli murmurare, noli desperare, imo noli admirari; modicum adhuc tempus est, quo pateris: tandem aliquando audieris; est enim qui vocanti respondeat et pulsanti aperiat.

O quantum ergo lætari debemus, quod hic aperire per orationem possumus ostium misericordiæ divinæ! Quam sedulo incumbere orationi! Quam patienter ferre, licet non quam primum audiamur. Sufficit nobis vel in ultimo spiritu audiri tandemque aperto cœlestis Patris ostio admitti ad panem illum, de quo dixit quidam: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei* Luc. XIV.

CONCIO V.

MULTIPLEX ORANDI NECESSITAS.

- I. Urget Ecclesiæ necessitas, unde orandum: *Sanctificetur nomen tuum.* — II. Necessitates corporales, unde orandum: *Adveniat regnum tuum.* — III. Cæcitas et ignorantia nostra unde orandum: *Fiat voluntas tua.* — IV. Vitæ nostræ sustentatio, unde orandum: *Panem nostrum.* — V. Nostra ad peccandum facilitas, unde orandum: *Et dimitte etc.* — VI. Urget periculum in eligendo statu, unde orandum: *Et ne nos inducas, etc.* — VII. Urgent pericula corporalia, unde orandum: *Sed libera nos, etc.*

THEMA.

Amicus meus venit de via ad me, et non habeo quod ponam ante illum. Luc. XI.

Inter alias epistolas, quas ad septem episcopos minoris Asiæ scribit ex insula Patmos S. Joannes in Apoc. ad episcopum Laodicæ ita scribit, cap. III. *Dicis, quod dives sum et locupletatus et nullius egeo, et nescis quia tu es miser et miserabilis; et pauper et cæcus et nudus. Suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum ut locuples fias.* Habet iste episcopus usque in hodiernum diem multos diocesanos, qui id ipsum sentiunt et cum ipso dicunt: *Dives sum, doctus sum, juvenis sum, sanus et robustus sum, liber sum, et nullius egeo.* Atque idcirco nunquam pene orant, quia nullam in se agnoscunt egestatem, unde orationes ad Carthusianos et Franciscanos ablegant, sibi necessarias non ducunt, sed interim revera miseri sunt et miserabiles et pauperes et cæci et nudi tam in corpore quam in animo, et omnes egent gratia Dei omnibus pene momentis. Quid igitur ipsi faciendum? Suadeo ut emant a Deo aurum divinæ gratiæ ignitum et probatum ut vere locupletes fiant. Emitur autem per orationem dum in ea non nostra, sed Christi merita allegamus et quasi pretium offerimus, cum per ipsum et in ejus nomine oramus. Imo emimus, secundum S. Greg. Naz. in orat. in sanct. baptisma, dum nostrum etiam desiderium et petitionem Deo offerimus, tam bonus enim et munificus est Dominus, ut petitionem, imo desiderium tantum nostrum velut pro pretio accipiat, et pro eo gratiam nobis vendat. *Appetitionem ipsam, inquit ipse, Deus ingentis pretii loco habet, sicut sitiri, bibere cupientibus potum præbet, cum a Deo beneficium petitur, beneficio id ducit, etc.* O mercatum bonum, venite o Christiani: *Emite absque argento et absque ulla commutatione, inquit Isaias, c. LV. Quod ut faciatis, ostendam vobis prius indigentiam, miseriam, paupertatem, cæcitatem et nuditatem vestram, ut tanto libentius ematis.*

I. Ad orandum impellit Ecclesiæ necessitas. Tametsi enim Ecclesia universalis certam et infallibilem habet a Christo promissionem stabilitatis, non tamen habet Ecclesia particularis, hujus vel illius loci, v. g. Ecclesia Germaniæ nostræ. Sicut enim Ecclesia Græcorum, Anglorum, Saxonum et similes prius a Deo dilectæ et tot sanctis viris coruscantes interierunt, ab hæreticis et Turcis occupatæ; ita contingere etiam Germaniæ nostræ potest. Et quomodo id impedire non possemus, si Deus a nobis recedere, et fidem suam alio transferre vellet? Sane licet omnes episcopi assiduo vigilarent et clamarent prædicando et hortando et vitæ exemplo præ-

eundo, licet principes arma cogèrent et exercitus colligerent, non possent revivare fidem in aliqua natione, nisi Deus daret: quemadmodum et Hebræi post reditum e captivitate Babylonica restaurantes civitatem Jerusalem et domum Dei, licet una manu ædificarent et altera tenerent gladium, insuper etiam custodias agerent contra hostes impedire volentes opus eorum, nisi tamen ad hæc omnia junxissent orationem et orassent Deum suum, ut haberetur, II. Esdr. IV. nihil effecissent, siquidem propter orationem eorum dissipavit Deus consilium hostium. Unde de hoc prophetice dictum est in Psal. CXXVI. *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Quod idem de Ecclesia dicere possumus: Licet episcopi vigilent et clament, non possunt tamen cor penetrare et movere; licet principes gladium teneant et custodias agant, frustra laborant sine Dei custodia; quia fides ejusque observatio domum Dei est. Quid igitur superest, nisi ut oremus et ad Deum clamemus: *Sanctificetur nomen tuum?* hoc est: Da ut nomen tuum quod in se sanctum est et gloriosum, habeatur sanctum ab omnibus hominibus, ut exponit S. August. lib. II. de serm. Dom. in monte, cap. X. sive ut sancti nominis tui honor et cultus veraque fides in terra nostra conservetur, sive ut hæretici convertantur et sanctum Dei nomen agnoscant et colant. Quid enim faciunt navigantes in maxima tempestate nisi ad Deum clamant, et cum discipulis in navi periclitantibus Christum excitant: *Domine, salva nos, pertimescit.* Quod tanto magis nunc faciendum nobis, quando graviore tempestate jactatur navicula Ecclesiæ Germanicæ: et quæ graviora sunt peccata nostra, ob quæ meremur a Deo deseri. Quando Dominus finxit se recessurum a discipulis euntibus in Emmaus, illi coegerunt eum manere dicentes: *Mane nobiscum, Domine, qui sane nisi per orationem cogere eum nullatenus potuissent, Luc. ult. Videtur profecto jam ab aliquot annis recedere velle Christus a Germania et longius ire, suamque hinc fidem alio transferre. Quomodo cogemus eum ut maneat nobiscum, nisi oremus et clamemus: Manet nobiscum, Domine? Sola enim est oratio, quæ tenere Deum potest, quemadmodum et tenuit illum oratione sua Moyses in monte Sinai, ne peccantem populum et saltantem coram vitulo penitus deleret, Exod. XXXII.*

Compellit et necessitas santificandi Deum in anima nostra per bona opera, et glorificandi eum per virtutum exercitia. Atqui post lapsum hominis perseverat in nobis spiritualis illa maledictio, ut non nisi in sudore vultus nostri

operemur panem virtutum, et non nisi in dolore, id est, cum difficultate magna pariamus opera virtuosæ, quæ præ cum delectatione peperissemus, quia tunc virtutis appetitui nostro erat connaturalis et proportio; unde et caro nostra, quæ tunc fructum bonorum operum protulisset, nunc spinas et tribulos germinat nobis. Quod si non expedite et hilariter peragamus opera bona, nihil meremur. Quid igitur superest, nisi ut clamemus ad Deum et oremus: *Sanctificetur nomen tuum, id est, glorificetur in nobis per confessionem et bona opera?* ut exponit Greg. Nyss. de orat. Quid enim facimus aut facere possumus, cum diu terra nostra pluvia caruit? nonne processiones instituumus ut pluat? Similis est in terra carnis nostræ, quæ sine pluvia gratiæ non profert opera virtutum. Unde Salomon, Sap. VIII. ait: *Ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, adii Dominum et deprecatus sum illum: et David velut terra arida petit imbrem gratiæ a Deo, Ps. CXLII. Expandi manus meas ad te; anima mea sicut terra sine aqua tibi: velociter exaudi me, Domine.* Nimirum sicut terra sine aqua neque vestitur herbis, neque ornatur floribus, neque producit fructus, sed est inanis et vacua, sic anima sine gratia Dei nec virtuosas habet cogitationes, nec sermones sanctos, nec bonas operationes.

II. Compellit etiam sæpe necessitas corporalis, ut in desolationibus, oppressionibus, morbis desperatis, et similibus, ubi humanum deficit auxilium. Et quam facile hæc nobis evenire possunt? Et quoties eveniunt? Quid tunc superest cum hominum ope destituti, terram et regnum mundi relinquere cogimur, nisi ut convertamur nos ad Deum et dicamus: *Adveniat regnum tuum?* Sic Ezechias audita mortis sententia convertit se ad parietem et flevit, deprecatusque est Dominum et impetravit adhuc quindecim annos. Quid dicitur reo jam judicato et ad supplicium ducto? Noli amplius supplicare, dicitur, noli amplius de vita aut auxilio humano cogitare; moriendum tibi est, de Deo nunc cogita, id solum tibi superest. Similiter, si quis e turri cadens pendulus hæret in media turri fragili e ligno, quid isti superesset, nisi ut Deo se commendaret, et eum propitium sibi in altera saltem vita redderet? Modo omnes nos morti dudum adjudicati sumus et hanc vitam deserere necessario debemus: quin etiam quotidie ad mortem illam passum facimus, et nescimus quando ad metam perventuri simus. Quid igitur superest, nisi ut semper oremus: *Adveniat regnum tuum, id est, quandoquidem regnum mundi necessario deserendum est, et juvare me non potest, tu Domine adjuva me ut*

saltem in regno tuo locum habeam. Hoc considerans bonus latro, quo scilicet paulo post moriendum sibi esset, ipseque per omnia ligatus, solam linguam liberam haberet, orare incepit, ut saltem in regno Christi locum inveniret; de rebus ejus mundi nullam cogitationem habuit.

Impellit fragilitas et inconstantia nostra; quantumcumque enim vallati simus virtutibus, disciplina regulari, muris monasterii, solitudinis asperitate, scientia divinarum litterarum, etc. facile nihilominus excidere a Dei gratia et regno possumus, et excidunt quam plurimi. Quæ ipsi regi Sauli contigit, qui prius placuerat Deo, postea displicuit et abjectus est. Quid igitur superest, nisi ut semper oremus et clamemus cum Davide: *Ne projicias me a facie tua et Spiritum sanctum ne auferas a me?* Quid nisi illud: *Adveniat regnum tuum, hoc est: Ne patiaris nos excidere a regno tuo? Quid enim agit mercator, qui omnem suam fortunam et substantiam misit in Indiam ad comparandas et asportandas merces, si præsertim tardet venire navis ipsius; quid agit, nisi quod continenter orat: O si veniret navis mea! O si salva et incolumis appelleret ad portum! Potest enim optime dicere: Memento mei, Domine, quoniam ventus est vita mea; siquidem una tempestas, unus ventus perdere ipsum potest. Pari modo dum in navi gratiæ Dei vehimus omnem fortunam nostram, et interim ea inter hujus mundi fluctus valde periclitatur, ubi et plurimæ etsi robustissimæ naves pereunt; quid superest nisi ut semper oremus, ne pereat nostra navis, ne excidamus a Dei gratia? Sic enim dixit Dominus, Luc. XVIII. *Oportet semper orare et non deficere: et S. Aug. I. II. de bono persev. cap. XVI. ait Deum alia dona dare etiam non orantibus, sicut initium fidei, alta non nisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam.**

III. Compellit nostra cæcitas et ignorantia in quam incidimus, dum quid agere debeamus in singulis pene rebus ignoramus, malum pro bono habemus et vitium pro virtute, falsa pro veris amplectimur, et velut in silva Hercinia oberramus; unde postea nos poenitet factorum, cum deceptos nos videmus. Sic enim Sap. IX. dicitur: *Cogitationes mortalium timidae e. incertæ providentiæ nostræ.* Ratio, quia Dei providentiæ est digere actiones hominum et ipse solus novit eventus futuros. Quoties nobiscum ipsi pugnamus, et deliberamus quid facere expediat? Et sæpe nemo hominum consulere nobis potest. Quid igitur superest, nisi ut oremus et dicamus: *Fiat voluntas tua?* Sic enim Jer. XXXIII. dicitur: *Clama ad me et exaudiam te, et annuntiabo tibi grandia et firma quæ nescis; et II. Par. XX. Josaphat cinctus ab hostibus rex*

ait: *Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui ut oculos nostros dirigamus ad te.* Quo facto insignem de hostibus victoriam reportavit. Hac de causa Ecclesia ante omnes horas canit, et in prima diei hora quater, *Deus in adiutorium meum intende.* Et sic ante omnes actiones, orandum esse vult Cassianus. Rursum in eadem primat orat Ecclesia: *Sit solum odor Domini Dei nostri super nos, et opera misericordiarum nostrarum dirige super nos, et opus manuum nostrarum dirige.* Sic Moyses oravit Dominum ut præcederet in deserto, alioqui non processurus cum populo, Exod. XIII. Cum enim non sufficiat lumen intellectus nostri, debet a lumine alio intendi, et quasi columna ignis præeunte duci. Solus autem Deus est pater luminum a quo omne bonum, Jac. 1. Quemadmodum ergo puer parvulus quem deserit nutrix et sinit ire solum, paulo post cadet, vel in forum procedens incidit in occursum equorum vel vaccarum, et nescit fugere vel redire in domum; ita si Deus nos permittat ire solos, statim cadimus, et nos ipsos perdimus. Ita Roboam sequens juvenes scidit regnum tuum: Achab sequens pseudoprophetas loquentes ei placita, ivit ad bellum et periit. Quid ergo faciat talis parvulus sibi relictus in foro, nisi ut ploret et nutricem advocet? Hoc agnovit Salomon cum ait, III. Reg. III. *Ego sum puer parvulus ignorans egressum et introitum meum. Dabis ergo servo tuo cor docile, etc.*

Compellit etiam naturæ nostræ imbellicitas, ut jam non nisi difficillimè facere Dei voluntatem possimus ejusque præcepta servare. Etenim humana natura homo ille est, qui descendit ab Jerusalem in Jericho et incidit in latrones, qui despoliaverunt eum et plagis impositis reliquerunt jacentem semivivum. Spoliatus enim originali justitia incidit in mille miseria et hostes, quibus resistere nequit natura sauciata, carne rebellante spiritui, etc. Unde non potest ex se tamquam ex se agere, vel loqui, vel cogitare aliquid quo Deo sit gratum, neque dicere *Dominus Jesus*, nisi adjutus a Spiritu s. Nec potest sine Dei gratia servare, saltem diu, omnia Dei præcepta naturalia, et vitare omnia peccata mortalia: tametsi possit singula. Unde exclamat apostolus ad Rom. VII. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Respondet autem: *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Quod si igitur tam miseri et imbecilles sumus, quid superest, nisi ut ad Deum clamemus et dicamus: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo et in terra?* Hoc enim verbo oramus, ut possimus facere voluntatem Dei et obedire omnibus mandatis ejus: *Seu ut fiat voluntas Dei in nobis*, ut ait B. Cyprianus, in expos. orat.

Dom. Quid enim aliud facere posset saucius ille, qui a latronibus relictus est, cum ipse ob debilitatem et vulnera ambulare nequiret, nisi ut prætereuntes invocaret, a quibus tolleretur in dorsum vel equum, et ferretur ad hospitium? Ita nisi nos adjuvemur a Dei gratia, voluntatem ejus facere, longiori saltem tempore, non possumus: et tamen interim jubemur omnia Dei mandata servare. Quid igitur superest, nisi ut assiduo clamemus cum S. Augustino: *Domine, da quod jubes, et jube quod vis?* Seu ut tollat nos in jumentum gratiæ, uti Samaritanus.

IV. Compellit vitæ nostræ sustentatio. Licet enim nos terram aratro procindamus, semen jaciamus et agrum rigemus nihil proficiemus, nisi Deus faciat crescere segetem. Quia teste apostolo: *Neque qui rigat est aliquid, neque qui plantat, sed qui incrementum dat Deus.* Ipse aufert, (id est, in altum tollit) *siillas pluviam et effundit imbres ad instar gurgitum, etc.* In manibus abscondit lucem et præcipit ei ut rursus adveniat (Chald. *descendat propter orantem*) ait Job, c. XXXVI. et sicut Christus dixit: *Ipse solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injustos.* Quis nostrum tempore siccitatis cernibus suis artibus et incantationibus educere de cælo potest pluviam? Quis tempore pluvioso claudere cataractas cæli? Nemo prorsus. Ad Deum confugimus; alium ad quem confugiamus, non habemus. Quis igitur superest, nisi ut oremus et clamemus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie?* Quid agere debet equus ad præsepe alligatus, et a custode suo desertus, pabulo et potu destitutus, nisi ut crebro hinnitu ac pedum pusu famem suam prodatur, et quempiam vocet a quo pascatur? Quid pullus hiraudinis aut columbæ cum nec plumas nec alas habet nec ullo modo cibum querere per se potest parentibus venire tardantibus? Quid ei superest, nisi ut repleat aerem clamoribus? Et querelis ac gemitibus viscera parentum pulset? Nunc vero nos velut pulli sumus, qui a Deo expectamus, ut det nobis escam in tempore. Ita rex Ezechias, Isa. XXXVIII. *Sicut pullus hiraudinis sic clamabo, inquit, meditabor ut columba.* Quanta igitur orandi necessitas nobis incumbit? Accedit quod licet quis abundet temporalibus, si tamen Dei benedictione careat, nihil ei sufficit. Qui mercedes congregavit, mittet eas in sacculum pertusum: inferet in domum et Dominus exsufflabit illud, Agg. 1.

Compellit etiam animæ sustentatio, quæ sine pane spirituali verbi Dei vitam degere diu nequit, quia: *Non in solo pane vivit homo, inquit Dominus, sed in omni verbo quod egreditur de*

ore Dei. Ad hujus vero penum claves habet Deus et cum gravissime vult punire, panem illum subtrahit. At licet plerisque offerat hunc panem per manus prædicatorum, non tamen omnibus dat appetitum, ut panem hunc arripiant, masticent, ruminent, digerant, et in sui naturam convertant, indeque confortentur et crescant. Etenim concionator potest aperire aures, sed Deus haberet claves cordium, sine cujus gratia cor non penetratur a verbo Dei, non assentitur, non obedit: sed aure audit, et non intelligit, etc. Sic enim licet angeli prædicarent Lotho excidium civitatis, et cogerent ac hortarentur ad exeundum si salvus esse vellet, nihilominus adhuc dissimulabat et moras nectebat, donec apprehenderunt manum ejus et eduxerunt illum, Gen. XIX. Non enim sapiebat hoc verbum Lotho, cupiebat manere in domo sua, cum suppellectile sua, sive ut eam ab incendio eriperet, ut vult Rupertus, sive ut oraret Deum pro urbis conservatione, ut vult Abulensis. Idipsum fit cum plurimis, qui verbum Dei quidem audiunt, sed illo nihil moventur, quia vel non sapit illis, vel plus sapiunt eis bona terrena; atque ita verbum Dei non mandunt, nec inde quidquam proficiunt. Quid igitur superest, nisi ut clamant ad Deum: *Panem nostrum spirituales quotidianum da nobis hodie?* Non utique videamus aut gustemus tantum, sed ut edamus, masticemus, ruminemus, in nos vertamus, indeque crescamus. Atque hinc fit, ut ante concionem oratio præmittatur, qua appetitus verbi Dei in nobis excitetur.

V. Compellit etiam quotidiana nostra inconsideratio et facilitas ad peccandum. Cum enim quotidie ante oculos Dei peccemus, et sæpissime in eadem mox peccata recidamus; quando oculos ad Deum erigimus, et inspectorem nostrum cernimus, annon cause satis habemus, cur quotidie et ardentissime oremus? Quid enim facis cum forte coram honoratis aut religiosi viris indecens aliquid per inconsiderationem locutus es, aut verbo minus provido virum gravem offendisti, quem absentem putasti, postea vero presentem cernis? Nonne statim veniam precaris, et honorem illi restituis verbumque tuum corrigis et parci tibi oras, maxime cum jam semel condonata culpa eandem repetis? Nunc vero tota die peccamus ante oculos Dei perpetui inspectoris nostri, et dimissadudum peccata toties repetimus; annon igitur necessarium ducimus, ut quoties cogitatione, verbo vel opere nos offendisse recordamur, et nos ipsos reflectimus offendisse Deum judicem presentem et omnia contemplantem, toties percutiamus pectus et dicamus: O quid feci! Parce mihi, Domine: *Et dimitte nobis debitum*

nostra? Quid enim faceret Publicanus in templo coram Deo constitutus, nisi ut demitteret oculos, tunderet pectus et oraret: *Deus propitius esto mihi peccatori?* Quid ageret David de adulterio a Nathan convictus, nisi ut fletet et clamaret: *Peccavi Domino?* Quid ageret servus a domino in furto deprehensus, nisi ut procidens veniam precaretur? Quod cum nobis quotidie eveniat: nonne urgentissimam habemus orandi causam?

Compellit immensitas debitorum nostrorum seu peccatorum, quorum partim est ingens numerus, partim maxima gravitas. Horum multa vel non rite confessi sumus, vel ex ignorantia culpabili non agnoscimus pro peccatis, vel sumus obliiti; vel si confessi sumus, debitam pro eis satisfactionem ob corporis infirmitatem, impotentiam, etc. peragere non possumus. Quid igitur nobis superest, nisi ut cum servo illo debitore decem millium talentorum venundari jusso, procidentes ante creditorem nostrum dicamus: *Patientiam habe in me*, seu illud: *Dimitte nobis debita nostra?* Quando enim fodere non valeamus, corpus affligendo per jejunia, cilicia, peregrinationes, forte ob teneritatem vel infirmitatem; quando facere nobis amicos non possumus de mammona iniquitatis, quia ipsimet indigemus; quid aliud superest, nisi ut mendicare apud Deum non erubescamus, ut remittat nobis debita? Quid nisi ut dicamus cum Job: *Domine, non intres in iudicium cum servo tuo: quia si volueris contendere mecum, non respondebo tibi unum pro mille?*

VI. Compellit periculum in eligendo statu, vitæ ratione, munere, loco, etc. Fieri enim plerumque solet, ut qui vocationi Dei ad certum statum, non obediunt, sed alium sibi pro libito eligunt, in eo pereant: contra vero rarissime pereat, qui statum ad quem vocatus est amplectitur. Ratio, quia non omnium humeri, omni sufficiunt oneri: et si tu apte culpa gravius tibi onus imponas, tibi ipsi imputa, si illi succumbas. Deinde, liberum est Deo ponere te in hoc vel illo statu, magis vel minus periculoso, religioso vel seculari, prælaturæ vel subjectionis publico vel privato; et licet in omni statu sufficiens præbeat auxilium, nihilominus tamen in uno magis est periculum, pronior, certior ad damnationem via quam in altero. Unde fit sæpe ut in religione aliquis damnatur, qui in sæculo salvatus fuisset, et contra in hoc officio vel loco pereat, qui in alio non periisset. Potest autem Deus quemlibet constituere in statu quo vult, quia cuique sufficiens impertit auxilium, nec tenetur constituere in securissimo. Sicut enim dux potest constituere milites in fronte prælii quos vult, uti Uriæ fecit David (licet in hoc aliunde peccarit) et quos vult in fine. Quid igitur